



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

22 Feb. 8 Kal. Mart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

rum operibus, nomen meum libro
vitæ dignum efficiam.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 44.

S. MARIA, *sub cuius pallio vidit is
qui hodie mortuus est, cliens tuus, tibi
devotorum cœtum, sub tuo pallio con-
gregatum. Juva me, ut hic, & in
cælo, tuorum cœtu dignus inveniar!*

22 Feb. 8 Kal. Mart.

S. Margarita pœnitens, quæ viso
inter lignorum struem vermi-
bus scaturiente impuri tui lenonis
cadavere, ad quod canis ductu per-
veneras, fœditates antiquas pluri-
mis lacrymis, sub religiosâ etiam
veste, abluisti: quæ vocem e cælo
hanc audisti recens conversa: *Non
adhuc vocaberis Filia; quia filia pec-
cati es: cum verò à tuis peccatis per ge-
neralem confessionem purgata fueris,
te inter filias numerabo.* Tunc omnia
tua peccata cognovisti, & octo die-
rum confessione conscientiam ex-
piâsti, à Christo *Filia* nomine ap-
pellata, & edocta, ut ad Euchari-
stiam, die S. Joannis Apostoli su-
mendam, te lacrymis, ad parvulum
JESUM fuis, & silentio præparares,
cui dixit idem Christus: *Filia mea,*
Pater

*Pater meus diligit te, & Mater illa
 Beatissima, cum omnibus exercitibus
 Beatorum. Et aliàs: Tu es taberna-
 culum, & cella Matris meae. Tibi pra-
 cipio, ut Matrem meam laudes, & ho-
 nores; & ipsam laudari, ac honorari
 facias, quantum potes, quia est omni
 laude dignissima. Si posset in caelo plus
 laudis & honoris dari creatura, id il-
 lius esset; quia digna est illa dulcissima
 Mater. Ipsa verò Virgo Mater tibi
 dixit: *Filia, qui quarit Unigenitum
 meum, & Dominum, me quarit; &
 qui habet ipsum, me habet.* Te sola-
 tus aliquando Christus dixit, ma-
 trem tuam, pro quâ orabas, post
 decem annos purgatorii, salvam
 esse. Et inter alia, quæ tibi dedit
 monita, *Margarita*, inquebat, *lauda
 me, non te; honora me, non te: cum
 enim lauda veris, & honora veris me;
 laudabo, & honorabo te.* Nulli cor-
 tuum rei praebeas, nisi mihi dilecto tuo.
*Solum me dilige, meisque laudibus sis
 intenta. amabo te, & laudari faciam.*
*Oratio recta requirit cor, ab omni labe
 defacatum, cor humile, cor separatum
 ab omni strepitu mundanorum affe-
 ctuum. Quæ in latere Crucifixi, cor
 Jesu intuita, & complexa, sursum
 ab eo ferebaris in caelum: & aliàs
 Crucifixo tuo toto amplexu inhæ-
 rens,**

rens, ab illóque rogata: *Quid vni-
miseram? respondisti: Nihil aliud pro-
ter te, Domine.* Ita demum felici
pœnitentium morte (quæ semper
Angelis jucundissima est) defuncta
es. Impetra mihi verum spiritum
pœnitentiæ; ut nullum peccatum
parvum putem, nihil differam, sed
hic citò expiem omnia; ac tandem,
felici morte pœnitentium, disce-
dam ad gaudia Angelorum. Amen.

S. Petre, Antiochiæ sedens, ubi
primùm discipuli dicti sunt Chri-
stiani.

B. Papia, S. Joannis discipule.

S. Aristion, Christi è septuaginta
duobus discipule.

Omnes sancti Martyres in Ara-
biâ cæsi.

S. Abili Episcopo.

S. Paschasi Ep. eruditione, & vir-
tutibus magne.

S. Petre Damiane, magne Offi-
cii Beatissimæ Virginis propagator,
magne literarum amice, corporis
hostis.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 44.

S. MARIA, *cujus sub Cruce dolores
ut experiretur, impetravit B. Mar-
garita pœnitens; & in ecstasi dolo-
ris, amorisque abrepta est. Doce me
artem*

artem patiendi: pone me juxta te, in
Cruce stantem, dum patior!

23 Feb. 7 Kal. Mart.

B. Nicolae, qui Christum coram
videns, ab illo audisti: *Nicolae,*
sequere me; & secutus es: cui Chri-
stus sacris operanti apparuit: quem
familiares tibi Angeli, & Patrona
S. Dorothea Virgo, contra im-
pugnantes dæmones, confirmâ-
runt. Tu sanctam illam, quam
à Christo didicimus, & illam, quâ
Beatissima Virgo ab Angelo saluta-
ta est, orationem, tanto in pretio
habuisti, ut *Pater noster,* & *Ave*
MARIA, aliquando undecies millies
pronuntiares. Ora pro me, ut ita
& *Pater* illud ad Patrem Deum, &
& *Ave* ad Matrem Dei orem, ut &
Patris illius, & Matris, bonus filius
vivam, & moriar. Amen.

S. Sirene, capite pro Christo
cæse.

Sancti septuaginta duo Marty-
res Sirmienses.

S. Polycarpe Presb. Martyrum
exhortator.

S. Martha V. Martyr.

S. Lazare, qui, quòd sacras ima-
gines pingeres, multa perpessus,
manus